

et ipsa iurisprudentia prudentiores sibi esse videntur, °) de plurimis argumentis, quae illotis manibus adtractare sustinuerunt, ita scripturiunt, vt siue integri libri, siue academicae disputationes ab illis editae merum rus oleant, summumque legentibus, licet patientia satis armatis, taedium obrepat. Iam vero noui illi et subitanei iuris, si diis placet, doctores, vna dissertatione inaugurali, ex aliis misera diligentia impudenter exscripta, et intermixtis impurae et tortuosae orationis stribliginibus vtcumque defen-

o) Ventosissimos illos insolentissimosque homines, capitales rei-publicae litterariae, et praecipue academiarum pestes, viuis quasi coloribus depinxit, et vrbano dicendi genere omnibus irridendos exhibilandosque propinavit Puttmannus noster, Vir litteratissimus, et humanioris iurisprudentiae ornamentum, *Comment. de Thrasonismo litterario Hal. 1782. 8.* qui etiam alios de hoc genere scriptores praef. p. 4. et in ipso libello passim larga manu suppeditauit. In qua quidem commentatione, tamquam in speculo, imaginem suam intueri possunt

vani quidam ostentatores, et immodici ingenii sui laudatores, qui, effronti impudentia turgidi, se solos sapere, et per ora hominum volitare, in circulis palam iactant, ceteros vero fungos esse stipitesque putant: quorum absurdae et insulsae garrulitati, quae illis in docendo familiaris est, quamuis vix plebeiae mulierculae aures fatigandas permitterent, liberales adolescentes, nimia credulitate decepti, et quasi torrente quodam communis stupiditatis dicam, an leuitatis abrepti, excussa omni aurium elegantia, ingenia corrumpenda tradunt.

C